

apparatu, in quo vis electromagnetica in proportione fuerit ad tangentem declinationis acus magneticae (Elém. de Phys. Ed. I. T. I. p. 255.)

Multo magis, quam haec modo memorata methodus, alia quaedam convenire videtur ad tangentem declinationis mensurae adhibendam, hucusque nondum in publicum edita, quam mihi privatim communicavit NERVANDER, professor physices Aböensis, sic comparata. Fingas disci cujusdam circularis (i. e. cylindri sat brevis) totam superficiem ita involutam multiplicatoris gyris sibi juxtapositis parallelis, ut gyrus medius diametrum quandam disci sequatur, exteriores ad instar chordarum, huic diametro parallelarum, ab utraque parte ductae magis magisque longitudine decrescant. Nunc, disco interiore remoto, intra gyros ita ordinatos et ad transmittendum filum suspensorium in medio paullulum dimotas, acum magneticam demissam esse ponas, eamque vel cum indice non magnetico vel cum altera acu magnetica, more NOBILII superne junctam; jam patet, declinationes in instrumento sic comparato observandas exacte legem tangentum supra allatam secuturas; cum poli acus, utcumque a situ suo deflexi, semper tamen eadem quantitate vis galvanicae ex eadem distantia afficiantur, nihilque mutetur per declinationem in relatione acus ad systema gyrorum praeter directionem actionis. Per hanc enim considerationem distantia ex calculo abit, reditque illa prius allata aequatio, quae vim galvanicam tangenti declinationis proportionatam esse perhibet.

Auctor hujus methodi, quam ipse nondum expertus sum, affirmavit mihi, se, experimentis eam examinando, plurimae severitatis capacem invenisse; moxque publici juris facturum. Quae utilitas ad initialem intensitatem vis galvanicae metiendam inde expectanda sit, in capite sequenti monebo.

Expositis methodis, in quibus distantia variabilis polorum acus declinatae a flumine galvanico evitata est, jam ad illas devenio, in quibus distantiae per declinationem variantis respectus non omitti.